



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Secundum excitatorium desiderij perfectionis est scire, quòd temporalia
non satiant. Cap. vj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

ior fuerit, eò maiores efficiet: qua absente reliqua omnia, qua mortales magna reputant, nec eos Deo gratos nec absolutè bonos reddunt, nec à vilitate peccatorum extrahunt, nec à nibilo peruerfitaris educunt. His rationibus, & aliis similibus (quarum multa ex his, qua dicta sunt superiori tractatu colligi possunt) intelligentiam nostram instruamus, vt sublimiter de perfectione cogitemus. Ita vt reliqua perfectioni, & virtuti subserviant, & eius comparatione vilescant, & si vel tantillum nos ab huius boni assequutione retardauerint, statim à nostro amore & desiderio discedant. Quod, nisi insipientes sumus, in illo tantum collocandum est, quod aut virtus sit, aut nos in virtute prouehat, aut ab eo, quod virtuti & obsequio diuino contrarium est, efficaciter & potenter abducatur.

Iacob. 1.

Pror. 2.

Ezech. 1.

Has verò meditationes, quibus mentem nostram ad perfectionis æstimationem erudimus, orationibus assiduè fulciamus, & à Domino quotidie notionem pulchritudinis, ac maiestatis veræ virtutis sollicitè & obnoxie postulemus. Si quis indiget sapientia, inquit Iacobus Apostolus, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.] Quamam vtilior sapientia, quam Deum scire, & mandata eius obseruare, & ad puritatis fastigium peruenire? Quamam excellentior sapientia, quam nostræ animæ perfectionem maximam omnium bonorum reputare, & eam omnibus visibilibus anteferre? Qui ab hac sapientia ieiunus est, & nondum nouit quomodo oporteat eum amare illam, & querere; petat hoc donum à Domino, quinò negabit illud, cuius est postulata concedere. Si enim sapientiam inuocaueris, o homo, inquit, Salomon, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: si quaesieris eam, quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies: quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia.] Tunc inuocas sapientiam, cum cognitionem pulchritudinis, & valoris veræ virtutis ad te oratione vocas, & eam à Domino instanter petis. Tunc inclinas cor tuum prudentiæ, cum in oratione positus non tantum Deum alloqueris, verum etiam eius vocem reuerenter auscultas, vt ipse te prudentiam doceat, & de natura, ac pretio virtutis erudiat. Si ita virtutis notionem postulaueris, dabitur tibi tam profunda, & efficax, vt in corde tuo magnum desiderium virtutis exsuscitet, & ad sequelam eius instiget. Quam si quaeris, vt cupidus quaerit pecuniam, qui nullum laborem non sustinet, & nulli molestia parcat, vt eam vnde cumque conquirat: & si effoderis illam sicut amator diuitiarum effodit thesaurum, sic videlicet vt fossam in te humilitatis excaves, & omne terrenum à te reicias, & operibus studiosis vigilantè inuisitas, tunc intelliges, tum intellectu, tum affectu, timorem Domini proprium filiorum, qui à perfecta charitate procedit, & disciplinam perfectionis inuenies. Orationibus itaque notitia & æstimatio perfectionis postulanda est, quam cum habuerimus, tales cordi nostro faces desideriorum admouebit, vt non difficile sit ad perfectionem celeri cursu prope rare, & eam vniuersis visibilibus antepone re. Hoc enim desiderium fructum esse cognitionis, qua naturam & pulchritudinem perfectionis agnoscimus, & eam magni reputamus aperte Salomon effatus est, dicens: Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, & stultitiam: & inueni, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.] Iste sapiens non solam

prudentiam agendorum & doctrinam virtutum, sed & errores vitiorum, ac stultitiam iniquitatum didicit, vt vitium virtuti comparatum foedius, & virtus iuxta vitium posita venustior appareret. Ex hac autem doctrina quid sequutum est? Certè labor, & afflictio spiritus. Quia nimirum spiritus humanus iam sapiens effectus, mirum in modum affligitur; quia nec deformitatem vitiorum tam diligenter fugit, quantum fugienda erat; nec decorem virtutis quantum debuit, adamauit. Oriturque ex scientia labor, & ex sapientia indignatio, quia quo quis virtutem perfectius nouit, eo impensius pro eius assequutione laborat, & quo intimius vilitatem desideriorum rerum temporalium agnoscit, eo vehementius eis recusat subiacere. Sic Gregorius hunc locum Sapientis intellexit, dum ait: Cœlestia cognoscentes, terrenis animum subdere dedignantur. Et dum plus sapere incipimus, de his, qua malè egimus, nobis ipsis irascimur, & fit in multa sapientia multa indignatio, quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de peruerso opere. Atque cum scientia dolor crescit, quia quanto magis æterna cognoscimus, tanto magis esse nos in huius exilij miseria dolemus. Vel sicut in translatione alia dicitur: Et qui addit scientiam, addit laborem.] Quo enim scire incipimus, qua sint cœlestia gaudia, eo magis vt errorum nostrorum laqueos possimus euadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio, quia si æterna iam sapimus, nosmetipsos despiciamus. Igitur hoc, quod nos potuit ab æternitatis amore separare. Reprehendit semetipsam conscientia, accusat quod egit, damnat per penitentiam, quod accusat, fit rixa in animo parturians pacem cum Deo.] Scientia itaque, cognitioque virtutis indignationem aduersus vitia parit, & exitus aquarum, inquit, hac scientia cumulat, deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.] Et zelus domus tuæ, scilicet animæ ad tuam imaginem factæ, comedit me, & opprobria vitiorum exprobrantium tibi ceciderunt super me.] Ad laborem quoque manus exerit, quia thesaurum perfectionis probe cognoscens, non potest non pro eo laborare, & seruire bonorum operum, & sui ipsius abnegatione, se ad eius adaptionem disponere. Crescat igitur in nobis perfectionis cognitio, crescat & sanctitatis æstimatio, quia hæc desiderium, & concupiscentiam excitabit, & omnem pigritiam, ac socordiam in sectandis bonis operibus submouebit.

Greg. lib. 10. in Ezechielis proph. sinè

Psal. 118.

Psa. 68.

Secundum excitatorium desiderij perfectionis est scire, quod temporalia non satiant.

C A P. VI.

COR humanum, dum hæc vita viuatur, quæ tota inanitas & mendicitas est, desiderij vacuum esse non potest. Quia omne, quod est, dum plenum non est, & sinus habet alicuius boni capaces, naturaliter appetit illud, quo, aut secundum veritatem, aut secundum existimationem repleatur. Et quod suum finem nondum est allequutum, cuius gratia factum est, inquieto in finem appetitu mouetur, & in

illud,

illud, quo perficiendum est, insatiabilibus desideriiis aspirat. Cor autem hominis in vita mortali, nec bonis plenum est, cui res bona defunt, nec suum finem est assequutum; consequens ergo est, ut desideriiis aestuet, & aliquod bonum, quo caret, adipisci desideret. At homo, non ut res sensus, & rationis expertes, naturaliter in bonum mouetur, sed cum sit rationis, & libertatis capax, non solum voluntariè, sed etiam liberè in bonum tendit. In his ergo rebus oportet, sua desideria collocet, qua habita ipsum impleant, ipsum perficiant, & satient, ne imprudentia, & ignorantia arguatur. Effet enim planè stulti & insipientis animi, ea concupiscere, quæ in nostram potestatem adducta, nos vacuos & ieiunos relinquerent, & neque ad minimum tempus, cordis famem satiant. In quo hominis lugenda sanè insipientia conspicitur; qui (ut ait Augustinus) gaudere desiderat, sed non ibi querit gaudium, ubi oportet inquiri. Videamus nunc igitur, quid nobis concupiscendum sit, ut cum nouerimus temporalia nullo modo esse desideranda, quæ sursum sunt, nimirum spiritalia & cœlestia, appetamus. Et quidem temporalia nobis appetenda non esse, inde manifestè cognoscimus, quod vilia admodum & contemptibilia sunt, cor verò nostrum excelsum, & nobile, cuius cibus illi congruus suavis est, & pretiosus, ac proinde, quæ ab hac suauitate & pretio degenerant, non sunt illi preparanda. Nam quod Raphael Angelus Tobie dixit; Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor: Idem potest quilibet homo dicere: qui licet videatur terrenis rebus impleri, tamen (quod ad animam pertinet) non sustentatur nisi inuisibili cibo virtutis, & veritatis. Quare promittens Dominus cibum homini legem custodienti ait: Cibabo te hereditate Iacob patris tui, os enim Domini locutum est. Vt sciamus, hereditatem æternam, quæ à virtute incipit, & in premio virtutis consistit, cibum esse mentis humanæ, tum suauissimum, tum præclarissimum, extra quem erit quidem aliquid, quod eam distendat, & inflex, non tamen quod repleat, & satiet. Pulchrè sanè Richardus antiquorum sententiam philosophorum correxit, qui hominem mundum paruam appellauerunt, qui potius mundus maximus vocandus esset, quoniam totius mundi possessio, sinus & recessus mentis humanæ non replet. Nonne, inquit, philosophi videntur errasse, qui hominem microcosmum, id est, minorem mundum dixere. Numquidnam obsecro non meritò maior mundus dicendus est humanus ille animus, qui mundo vtique maior est: quem totus mundus nulla sui dilatatione, nulla sui multiplicatione satiari potest? Si humanus animus maior & capacior est mundo isto visibili, & istum omnia visibilia continentem res paruæ non replent, quoniam modo illum replebunt: Quo pacto auiditatem cordis humani paruæ diuitiæ, aut fugientes voluptates, aut honores fallaces satiabunt? Comedent, inquit Oseas de impiis loquens, & non saturabuntur. Quare? Nisi quia calor spiritalis stomachi adeo vehemens est, ut quasi in momento omnia corruptibilia consumat, & statim ac si nihil deglutiisset, fame tabescat, & pereat. Sicut enim iustitia saturat, inquit Hieronymus, sic iniquitas substantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, & vtros deuorantium vacuos derelinquit. Quod autem ipse de iniquitate dicit, quia substantiam non habet, nos de rebus temporalibus iure possumus euinciare, quod scilicet substantia careant, quia licet entia sint, & secundum philosophicam

A disciplinam ad ordinem substantiæ pertineat, sed cum non modicæ sint substantiæ, mentem humanam non saturant.

Velis ad mensuram pueri contexta, gigantem non operit: & receptaculum annuli pro carbunculo elaboratum, minor gemma non replet, & tenerum lac in cibum infantium à natura paratum, homines robustos nullo modo sustentat. Sic corporalia, quæ ad velandum; & fouendum passillum, & imbecillum corpus data sunt, mentem vsque in cœlum caput attollentem non contegunt: & capacitatem eius ad capiendum summum bonum conditam non explent; & velut guttæ lactis exigua spiritui forti, atque robusto, nequaquam sufficiunt. Hoc est enim quod Isaias ait: Sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion. O quam verum hoc: qui enim aduersus altitudinem suæ naturæ pugnant, dum se visibilibus amori subiiciunt, non magis profectò satiantur, quam si cibos suauissimos per somnium ederent, & vina pretiosa biberent. Nam quid aliud est, post multa bona temporalia possessa, alia insatiabiliter querere, & post multas expertas carnis voluptates, alias sine vlla mensura sitire: & post multos honores adeptos, alios maiores, & sublimiores ambire, nisi huic veritati attestari, quod visibilia sicut bona somniata non satiant, nec habendi famem, & sitim extinguunt? Si quis dormiens representatione somniorum elusus, cogitet se regem, aut prælatum esse, & diuitiis, ac satellitibus regum, & Episcoporum consortari, quid prodest, si elapso dormiendi tempore, nec regnum, nec Episcopatum est habiturus? Sed huius generis mihi videntur sæculi dignitates, quæ in huius vitæ somno vanissimo miseris mortales elidunt: & ficti splendoris ostensione decipiunt: transibit, transibit dormiendi, & somniandi tempus, & in futuram vitam euigilabunt, & tunc isto etiam ficto & inani honore carebunt. Neque esset ista ambitiosorum & cupidorum summa miseria, quia saltem quasi per somnium bonis huius sæculi perfuerunt: at manet illos ob somniatam felicitatem magna, & vera calamitas, quod non quasi per somnium, sed verissimè, & per totam æternitatem, superbia, & ambitionis, & iniquarum cupiditatum poenas sustinebunt. Merito sanè hæc omnia temporalia inani somniorum imaginibus comparantur, quæ solum vitiorum somnum dormientibus placent, & ut insomnia, eum minus putabant, breuiter euanescent. Explicat hanc rerum vanitatem & breuitatem Gregorius, dum eas rerum exiguarum, ac inaniū, & simul citissimè deficientium naturis comparat. Iniquorum potentia, ait, sicut floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria, dum nitet, cadit: dum apud se extollitur, repentino intercepta sine terminatur. Sic namque aurum statu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit, sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccat. Sic spumosa aquarum bulla inchoatibus pluuibus excitata, ab intimis certatim procedunt, sed eò celerius dirupta depereunt, quò inflata citius extenduntur. Cumque exerescunt, ut appareant, etlescendo peragunt, ne subsistant. De iniquis igitur temporalis gloria elatione tumentibus, sed

Isai. 29.

Aug. ser. 30. in sa. 8. 11.

Tob. 12.

Isai. 8.

Rich. ser. de Spirit. sanct.

Osa 4.

Hier. ib.

C

D

E

Greg. 17. Mor. 5.

Tob 2.4.

tamen nulla in hac soliditate durantibus, dicitur recte: Eleuari sunt ad modicum, & non subsistent.] Quam vilia sunt, quæ talibus similibus exprimentur, quam breuia, quæ tam momentaneè dilabuntur, quam inania, quæ dormientibus, & non vigilantibus, aut sapientibus satisfaciunt. Videbimus eos, qui harum rerum amore tenentur, figuratos in Iona, cui præparauit Dominus hederam, vt eum ab æstu protegeret: & lætaturus est Iona super hederam lætitia magna.] Quanta res est hederam, vt ex eius ascensu tantam Ionas lætitiarum acciperet? Sic sunt homines rerum terrenarum amatores, qui ex rebus nullius momenti ita lætantur, ac si aliquid pertinens ad salutem æternam acquisissent. Et non aduertunt miseri, quia hæ res velut somnia transiunt, & eos vacuos & tristes relinunt. Nam simul cum hederam præparauit Dominus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.] Simul cum prosperitate temporalis vermis enascitur, quoniam eo ipso, quod corruptioni subiecta est, intus habet, quo citò consumitur. Quis putaret hederam heri subito natam, hodie subito caturam, & prophetam sine vilo vmbaculo permanens, vt solis calore æstaret, & quod peius est, igne indignationis arderet? Sed quis non putaret? cum ista sit omnium rerum visibilibus conditio, vt velut infomnia citò nobis appareant, & cum minùs putabamus, euanescant, & à nostris conspectibus se subducant? Quæ tam breui tempore fugiunt, non dubium, quin animum semper manentem, & per totam æternitatem durantem satiare non possunt.

Est etiam alia rerum temporalium conditio, ex qua non minùs euidenter elicitur, eas non esse sufficientes, vt humanam mentem exsantiant. Et verò est, quòd temporalia non sunt alimenta homini congrua, vt eum reficiant atque sustentent. Ezechiel præcepit Dominus ad quoddam signandum mysterium, vt panem immundum comederet, & ipse talem panem exhorrens, ac in hoc obedire detestans, non sine fletu, & lacrymis clamat: A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestiis non comedi, ab infantia mea vsque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.] Petro quoque oblatum est magnum vas, in quo erant omnia quadrupedia & serpentina terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Cui voci respondit ille: Absit, Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum.] Et Iob interrogans ait: Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Ac si diceret; nullus poterit sine nausea & horrore cibum insulsum ore gustare. Eadem ratio te moueat, o homo, vt non quæras bona sæculi huius, nec desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij, quia cibus mundi (quo nomine vniuersa visibilia intelligas velim) tum immundus, tum insulsum est, qui comedentem sua immunditia coinquinat, & nauseam ingenita insulsum prouocat. Immundus quidem est hic cibus, nam animam, supposita infirmitate nostra, & procliuitate ad malum, non solum immoderatis sollicitudinibus implicat, sed & innumeris peccatis contaminat. Si pecuniam congregare conaberis, inquit Laurentius Iustinianus, eripies habenti, aut cupiditatibus laceraberis. Si dignitatibus fulgere velis, danti supplicabis: & qui preire ceteros cupis, postendi humilitate erubesces: si potentiam desideras, subiectorum insidias obnoxius, periculisque subiacebis. Si gloriam appetis, per aspera quæque distractus, que-

Insi. in li-
gno vita.
tract. de
panis. c. 3.

atus, & securus esse desistis. Si voluptuosam vitam eligis, quis non spernat, atque abiiciat, vilissimæ fragilissimæque rei, corporis scilicet seruus esse? Quis talibus affectibus non inquinetur, & mentis suæ puritatem non amittat? Nec satis erit ad hanc immunditiam vitandam, si modum in vfu rerum temporalium, aut quærendarum, aut possidendarum retineas, quia iste modus, istaque mensura difficilis admodum est, facillimum verò illam transilire, & plus æquo rebus temporalibus inhærere. Sed concedemus tibi, quòd modum in tetrenorum amore teneas, certè licet peccata fugias, at curas, at distractiones, at sollicitudines nõ effugies, quæ si animam peccato non sædant, at ligant, & fuscant, & turbant. At quàm fit hic cibus induauis, & insulsum illi melius & frequentius experiuntur, qui maioribus aut diuitiis, aut honoribus, aut dignitatibus onerantur. Nam amor conseruandi, aut augendi, quod habent, est illis acutum, & timor amitendi est fel, quibus duobus salamentum quoddam adeo amarum conficitur, vt omne cui super iniicitur absynthio amari & horribilius efficiatur. Quare qui rebus terrenis quærendis, & cumulandis intendunt, cum cantico non bibent vinum, vt ait Isaias, & amara erit potio bibentibus.] Imò cum gemitu & dolore bibent, neque in his cibis insulsum, aut dulcedinem aut quietem inuenient.

Sed esto, quòd tu velis his cibis, tum immundis, tum insulsum, satiari, & ventrem tum vilibus alimentis implere, & immunditiam peccatorum incurere, & amaritudinem timorum, & curarum sentire. Nam & bene posset quis, tempore scripta legis, contrarius & fas animalibus immundis vesci, quibus sine dubio ventrem exleret, & vitam naturalem sustentaret. Aduerte tamen, o infelix homo! quòd neque cum his tuæ animæ detrimentis poteris concupitam satietatem experiri. Omnibus enim rebus sua Deus alimenta signauit, nec vna alimento alterius, aut nutriri, aut sustentari potest. Ignis aère sustentatur, dum illud immutat, & in suam substantiam conuertit, at tu non sustentaberis aère, nec vento solo repleberis. Et aère sustentatur aqua, dum illam extenuat, & in vapores subtilissimos, ac postea in seipsam conuertit, tu tamen non reficeris sola aqua, nec vitam sine pane, vel alio alimento seruabis. Talpa (vt fertur, & nescio, an verum sit) terram comedit, at tu sat scio non comedes terram, neque in extrema etiam necessitate positus, lapidibus ventrem replebis. Quamobrem alturus ille tentator, non voluit Christum Saluatorem, ad tantam insaniam adigere, vt lapides ederet, sed vt eis in panes conuerlis instanti necessitati subueniret. Dic, inquit, vt lapides isti panes fiant.] Animalia feno & herbis & hordeo vescuntur, quæ cruda, & penè integra in ventrem traiciunt; illæque digerunt, & mutata suæ substantiæ addunt. Sed credo, te non esse adeo emotæ mentis, vt putes, hordeum, aut fenum tibi ad vsum cibi sufficere, & vitam similibus esculentis posse tenere. Qualibet ergo res proprium cibum habet à natura concessum, cuius absentia ieiuna, & vacua manet, & si cibum alterius sibi præsumat, non satietatem, sed vitæ sibi perniciem affert. Temporalia verò omnia iumento, id est, corpori, in cibum attributa non sunt cibus animæ tuæ, ergo eam satiare, & sustentare non poterunt. Quòd si ea in ventrem animæ ingeras, & immoderatis affectibus amplecteris, non tibi saturitatem, sed anxietatem, sed onus, sed dolorem sunt allatura. An putas, quòd auarus satietur diuitiis, etiam si vniuersum mundum ipse possideat?

Isai. 2.4.

Matt. 4.

Cum

Ecc. 5. Cū scriptum sit: Agarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.] An putas, quod luxuriosus fatietur voluptatibus; vide, quid dicas idem Salomon: Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non negant eis: nec prohibui cor meū, quia omni voluptate fruere, & oblectaret se in his, quæ preparaueram; & vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Qui post tot delicias vanus inanisque remansit, satis indicat se ad fatietatem quæ sitam non venisse. An putas, quod ambitiosus, aut honoribus, aut regnis, aut imperio fatietur? Alexander quidem vno mundo subingato nequaquam ad fatietatem vsque imperandi peruenit: sed audiens nescio quem philosophum disputantem, & plures esse mundos affluentem, tristatus est atque in lacrymas resolutus, quod ipse inter tot mundos, vni tantum imperasset, & suis bellis plures non subegisset. Si hæc in quacumque mensura accepta non satiant, signum est manifestum, quod non sunt cibi animi nostri, nam animus suo proprio, ac naturali cibo fatiatur, & nihil amplius eo ingestum requireret. Confirmat hoc egregie Bernardus, dicens: Inlustratione ventris spiritus: cibus est vitalis & naturalis; pecunia verò (& idem de aliis bonis diceret) sic non replet, vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem aperitis faucibus vento, inflatis haurite buccis aerem cernas, quo quasi confutat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insanie est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari, pulchre depingit. Quid namque de corporalibus ad spiritualia? Nec illa sanè spiritualibus, nec isti regione refici corporalibus queunt.] Alio verò loco stultitiam illorum, qui temporalibus repleri volunt, pulchre depingit. Vidi, inquit, ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitretur? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem terribissimum fetidissimumque geliebat haurire vaporem. Porro tertius fornicacubans vehementer accensa, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus larabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, leuioris aure spiritum aperto attrahebat ore, & si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus seorsum positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus & maxime. Proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamque seiscitatus à singulis, vnam omnibus esse reperio validissimam vti que famem. Tum verò macilentissimas eorum facies contemplatus recordabar propheta gementis miserabiliter & dicentis: Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.] Quid hæc vobis, inquit, profunt? Non sunt naturales cibi, magis famem hæc ptouocant, quam extinguunt. Panis namque animi iustitia est, & soli beati, qui esuriunt illam, quoniam ipsi saturabuntur.] Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri animo non potest. Capacem Dei, quicquid Deo minus est, non implebit.] Hæc, & alia multa eo loco Bernardus, quibus aperte demonstrat terrena mentem hominis saturare non posse. Egotamen, illis prætermissis, vnum adiicio, & mihi quidem satis efficax ad id persuadendum, quod intendimus. Illud autem est, quod mundus fallacissimus & auarissimus, non alimentis istis nobis alie-

A nis, quod fortassis alicui tolerabile videbitur, sed desiderijs eorum replere & exaciare contendit. Vnde Ioannes ait: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.] O egregia sæculi bona, quæ non in rebus ipsis visibilibus, sed in earum concupiscentia, & desiderio sita sunt. Nam animaduerte, quomodo Ioannes loquatur. Non enim dicit: omne quod est in mundo, delectatio carnis est, sed concupiscentia carnis est, & non dicit: Omne quod est in mundo possessio diuitiarum est, sed concupiscentia est diuitiarum. Et tandem non dicit: Omne quod est in mundo, altitudo, & dignitas est, sed superbia vitæ est, quæ supra id, quod habet, effertur, & non tam altitudinem habet, quam præsumit. Sic autem loquitur Ioannes, non à se ipso, sed ab Spiritu sancto, cuius fistula est, quoniam mundus amatoribus suis tantillum de suis bonis tribuit, & in incrementum concupiscentiis, & desiderijs cruciari, & affligi permittit. Illos ergo desiderijs vincit, & spebus vanis deludit, & turbidis concupiscentijs fatiare nititur, quos rebus ipsis concupitis replere non valet. Si autem impossibile est, vt desiderijs & absentia rerum desideratarum satiemur (nam desiderium fames est, non saturitas) pariter impossibile est vt mundus nos saturet, & cordis nostri appetitus tranquillet.

B Non itaque desideria nostra in rebus visibilibus collocemus, quæ habita non explent, adepta non satiant, ingesta nequaquam famem depellunt, nec sitim extinguunt. Sunt hæc sicut vuarum acini, semel expressi, qui non habent vinum, quod nobis effundant. Ita visibilia, licet, eminus visa, appareant delectationis vino referta, sed cum ea manu experientia tangimus, & sensus gustamus, aut voluptate vacua, aut curis, & tristitiis plena cognoscimus. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.] Si ex fœno succum delectationis exprimere non valeamus, nec ex flore, qui elanguit, ornatum capitis expectamus; nec à rebus visibilibus, quæ nomine fœni & floris signantur, aut vera voluptas, aut solidus honor expectandus est: quia hæc sub pelle falsæ voluptatis, & sub specie ficti honoris veram habent vanitatem; cordis angorem, & (si inordinate querantur) certissimam gloriæ mendicitatem. Sunt hæc bona temporalia, sicut arbores, quas terra illa Sodomorum & Gomorrhæorum, post subuersionem à Domino factam emittit. Illæ enim (vt dicitur) fructus habent externa quidem specie suaves, & pulchros, sed si manu tangantur, retro odore, astantium nares inficiunt, & in fauillam, & cinerem rediguntur. O quam vera imago mundanæ dignitatis, temporalium opum, & secularis honoris! quæ exterius visa, nescio quid habent fictæ gloriæ, & fallacis splendoris, qui oculos inexpertorum capit: at introitus in spectâ grauissimum exhalant multorum peccatorum odorem, in quæ miseri horum amatores impingunt, & dum temporis decursu finiuntur, in fauillam & cinerem conuertuntur. De his ait Dominus ad animam loquens: Et erit sicut puluis tenuis, multitudo ventilantium te: & sicut fauilla pertransiens, multitudo eorum, qui contra te præualuerunt.] Ista quippe bona, dum aduersus animam prævalent, eam curarum turbine in diuersas partes iactant. Sed non meliora sunt, quam puluis, & fauilla, quæ vilissima cum sint, vestes animæ, id est, virtutes, sordant, & oculos viam huius vitæ præteruentium excæcant. Sunt denique ista visibilia bona sicut cibi in tabella depicti, aut in aulais delineati,

Bern. de diligendo Deo.

Bern. de clamat. sup. Ecce nos reliquimus omnia.

Pf. 101.

Mat. 5.

1. 102. 2.

1. 102. 2.

1/a. 40.

1/a. 29.

qui si oculos fortè delectant, at ventrem non ex-
 plent, nec habendi famem sedant. Cibus enim ve-
 rus animæ Deus est, qui eius capacitati satisfacit, re-
 liqua verò, quæ ficta sunt, non possunt tantam ca-
 pacitatem replere, nec summi boni desideria satia-
 re. Vnde Augustinus ait: Cùm anima creaturam de-
 siderat, continuam famem habet, quia licet, quod
 desiderat, de creaturis adipiscatur, vacua tamen re-
 manet, quia nihil est, quod eam impleat, nisi tu Do-
 mine, ad cuius imaginem est creata. Implet autem
 tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te, & facies
 eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos, & ami-
 cos Dei, qui omnia reputant vt stercorea, vt luci-
 faciant te solum.] Meritò sanè visibilia bona, &
 omnis prosperitas temporalis in illo lectulo desi-
 gnata sunt, de quo ait Heliu apud Iob de Domino
 loquens: Increpat quoque per dolorem in lectulo,
 & omnia eius ossa marcescere facit.] Nam dum in
 his bonis requiescimus, increpationem conscientie
 nostræ à Domino excitatam sentimus. Quam ipse
 non sine magna misericordia excitat, vt nos ab
 amore earum, quæ amandæ non sunt, rerum terre-
 narum auertat. Nec solum conscientie increpationi-
 bus rerum mundanarum amatores percutit, ve-
 rum etiam aduersitatibus ex ipsis rebus, quas
 amant, exortis, ne sedeant, in via patriæ caelestis,
 ferit. Hoc est enim quod Gregorius ait: Via qui-
 pe est vita præsens, qua ad patriam tendimus: & id-
 circo hic occulto iudicio frequenti perturbatione
 conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent
 etenim nonnulli viatores cùm amœna fortasse in
 itinere prata conspiciunt, pergendi moras inne-
 re: & à cepti itineris rectitudine declinare: eorum-
 que gressus tardat pulchritudo itineris dum delectat.
 Electis ergo suis ad se pergentibus, Domi-
 nus huius mundi iter asperum facit, ne dum quis-
 que vita præsentis requie, quasi amœnitate vitæ
 pascitur: magis eum diu pergere, quàm citius
 peruenire delectet: ne dum oblectatur in via,
 obliuiscatur quod desiderabat in patria.] Signum
 itaque electionis est, & dilectionis diuinæ, quod
 in temporalibus absinthium ponit, & mundi flo-
 res spiritus, & tribulis cingit, vt percepta in eis ama-
 ritudò, faciat nos contemnere, quæ amata non
 satiant, & quæ contempta, si in vsum modera-
 tum & necessarium accipiuntur vtrunque delectant.
 Si ergo desideria nostra in aliquo ponenda
 sunt, & in rebus visibilibus ponenda non sunt, re-
 stat vt aliqua queramus, in quibus ea constituamus.
 Bona verò eius generis cupienda, & querenda
 sunt, quæ sint vera bona, quæ nostra desideria res-
 tinguant, quæ habita nos bonos & beatos faciant,
 quæ nos Deo coniunctos, Angelis gratos, & homi-
 nibus honorabiles reddant. Hæc autem esse virtutis
 & perfectionis bona sub alio principio breuiter ex-
 ponemus.

*Tertium excitatorium desiderij perfe-
 ctionis, quod spiritualia animo
 satisfaciunt.*

CAPVT VII.



VI aliqua arte sibi, & vxori, & filiis, &
 familie necessaria lucrari non potuit, so-
 let artem illam relinquere, & pro alia
 commutare, qua sperat se maius lucrum

A accepturum, quod sui, & suorum cibo & vestimen-
 to sufficiat. Qui etiam alicuius heri obsequiis addi-
 ctus, cum magno labore, & sine vilo emolumento
 famulatur, vtile iudicat illum herum delectere, & al-
 teri se adiungere, in cuius domo facilius seruiat, &
 onere leuiori præmatur, & mercedem copiosorem
 acquirat. Et nos hac ratione permoti, sæculum do-
 minum satis durum abieciimus, & Christi nos ob-
 sequiis addiximus, cuius iugum suauis est, & onus
 leue:] quod vtile nobis non erit, nisi veteri arte præ-
 termilla, qua amor terrenorum inhaesimus, nouam
 artem & magis quæstuosam addiscamus. Illa enim
 ars (nam sic vita carnalis vocari potest) nec vxori, id
 est, carni nostræ sustentandæ sufficit, quæ quibus-
 cumque terrenis bonis acceptis, semper plura con-
 cupiuit; nec filios, hoc est, desideria, & affectus ex
 carne prodeuntes aluit, quos post multas opes, post
 multos honores, post multas voluptates ingestas,
 semper famelicos & sitibundos dereliquit: nec ser-
 uulos & ancillas, nempe sensus, & animæ vires cibo
 sufficienti refecit, quia illos & istas maiora appeten-
 tes, & pro amplioribus bonis clamantes, & vocife-
 rantes audiuit. Discamus igitur aliam artem, scilicet
 spirituale vitam, quæ nos impleat, & satiet; quæ nos
 dicit, & amplifcet: quæ nobis de bonis omnibus ne-
 cessariis prouideat. Hæc enim spiritualis vitæ bona,
 quæ non sunt alia profectò, quam virtutis, & perfe-
 ctionis bona, talis naturæ sunt, vt menti hominis sa-
 tisfaciant, & in ea omnem famem, & omnem sitim
 rerum temporalium extinguant. Qui hæc suauissima
 bona comedunt, & humilitati, castitati, & reliqua-
 rum virtutum amor, ac studio se tradunt, statim ad
 videndam vilitatem rerum terrestrium oculis
 mentis aperiuunt. Nam sicut Ionathæ gustanti fauam
 mellis, oculi præ fame caligantes aperti sunt, vt
 omnia circumstantia posset clarè conspiciere: ita
 his qui mel virtutis gustant, mentis oculi roboran-
 tur, vt valeant rerum visibilium vilitatem, & inuisi-
 bilium cellitudinem contemplari. Dum verò con-
 siderant mundum, in Saule figuratum, eum huius
 mellis vetuisse, & milites (vt percam, & nihil fa-
 ciant) sine cibo in prælium amandasse, dicunt, quod
 verum est: Turbavit pater noster terram: vidistis
 ipsi, quia illuminati sunt oculi nostri, eo quòd gu-
 stauerimus paululum de melle isto: quanto magis
 si comedisset populus de præda inimicorum suo-
 rum, quam reperit: nonne maior plaga facta fuisset
 in Philistiim?] Mundum patrem vocant, quia ab eo
 (quod ad naturam attinet) geniti sunt, sed illum pa-
 trem, cui & concupiscentiæ matri dicunt: Nescio
 vos, & fratribus suis, Ignoro vos.] Ille pater turbat
 terram, quia hostibus vniuersis immanior, vt nos ad-
 uersus hostes Domini pugnemus, & eos insequa-
 mur, se velle dissimulat, & tam è mel gustare, aut ali-
 quem cibum accipere vetat. Scit enim, quòd si vir-
 tutis & bonorū spiritualium melle vescimur, quos
 ipse interdum ore inimicos vocat, & corde amicos
 habet, sine vlla ambiguitate vincemus. Vt ergo nos
 occultius decipiat, inimicos Domini suos hostes ap-
 pellat, & quasi ad eorum infectionem nos prouo-
 cat, dum sub specie boni desideria bonarum tem-
 poralium abscondit, sed sumptionem spiritualis ci-
 bi, sine quo victi cademus, altitus deceptor interdi-
 cit. At nos non credamus illi, neque obediamus voci
 eius, sed mel veræ virtutis, & bonorū spiritualium
 gustare conemur; quia illud oculos mentis nostræ
 illuminabit, vt rerum visibilium vilitatem agnosca-
 mus & lacertos nostros, roborabit, vt eas fortiter des-
 piciamus, & ad res caelestes non tantum gustan-
 das, sed perfectè possidendas aspiremus; Sic magna

Mat. 11.

1. Reg. 14.

Deut. 33.